

Petrus de Vinea

*Ep. VI 25 (Etsi munificentiae
nostrae gratiam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 25 (Etsi munificentiae
nostrae gratiam...)*

1220-1266

Priuilegium concessionis cuidam castri in perpetuum.

1. Etsi munificentiae nostrae gratiam libenter extendamus ad singulos, quos fideles nobis ex operum experimento sentimus, circa illorum tamen merita gratiosius proseguenda libentius dexteram nostrae liberalitatis adducimus, pro quibus non solum deuotionis et fidei puritas, sed seruitii multitudo multiplicis intercedunt. 2. Eapropter per presens priuilegium notum facimus uniuersis, tam presentibus quam futuris, quod nos, attendentes fidem puram et deuotionem sinceram et grata servitia, quae..., fidelis noster, culmini nostro fideliter exhibuit hactenus et incessanter ad presens exhibet et exhibere poterit diutius in futurum, castrum..., et ... iustitiarium sistens cum omnibus iustitiis rationibus suis et pertinentiis omnibus, quae de demanio in demanium et quae de seruitio in seruitium prouenire potuerunt eidem et heredibus suis in perpetuum, de speciali gratia et certa scientia nostra duximus concedendum. 3. Ita tamen, quod castrum ipsum a nobis et heredibus nostris in capitaniam teneant et immediate et a nostra curia recognoscant uiuentes iure Francorum, in eo uidelicet quod maior natu, exclusis minoribus fratribus et coheredibus, in castro ipso succedat et inter eos nullo tempore diuidendo: saluis in omnibus mandato, ordinatione et fidelitate nostra et heredum nostrorum, et seruitio, quod exinde curiae nostrae debetur. 4. Ad cuius rei, et ceterum.